

De Aegyptiorum moribus, cultura, adiunctis pluries mentio occurrit in sacris literis, quae notitiis aliunde haustis et monumentorum testimonio apprime respondent. Nilis tamquam unicum flumen Aegypti saepe nominatur sub nomine *Fluminis* (Gen. XLI, 1) vel etiam ad eius inundationes alluditur, ut Am. VIII, 8: sapientia Aegyptiorum et rerum naturalium peritia saepe innuitur, praesertim in historia Iosephi, Moysis et Aaron: superstitiones quoque in animalibus, vestibus, ritibus passim indicantur in Pentateucho imprimis in Exodo et in Deuteronomio, et quibusdam Moysis institutis occasionem dederunt, ut nempe Hebraei ab usibus illis averterentur. Mos cadavera praeservandi peculiaris fuit Aegyptiis, et in historia mortis Iacobi Patriarchae commemoratur (Gen. L, 2 seqq.) ubi iussu filii Ioseph secundum artem Aegyptiorum cadaver conditum aromatibus dicitur, quod deinceps in ipsius Iosephi cadavere factum est (Gen. L, 25). Mos etiam pyramides extruendi proprius Aegyptiorum fuisse videtur, quarum multae immensae molis adhuc stantes conspiciuntur: erant autem plerumque sepulchra regum, quorum cadavera in interiore parte pyramidis deponerantur: aliae astronomicis vel astrologicis signis ornatae erant, cum aliunde notum sit totam mythologiam aegyptiacam in astronomicis symbolis versari. Peculiaris character monumentorum Aegypti est gigantesca eorum moles: ita quaedam pyramides quae in confinio Aegypti inferioris attolluntur (imprimis prope Gizeh) habent altitudinem verticalem pedum 450 et obliquam pedum 764: staturae etiam saepe altitudine superant colossos aliarum gentium ita ut figurae sedentes usque ad altitudinem pedum 69 perveniant, sphynxes quoque seu figurae animalium muliebri capite et pectore, immensae molis extant, ut praecipua illa quae prope maximam pyramidem adhuc conspicitur quae longitudinem habet pedum 125 et altitudinem 60. Sculpturae usus maximus erat, ita ut omnia pene aedificia sculptis imaginibus ornata essent, ex quibus multa etiam nobis innotuerunt de usibus domesticis et sacris, de mechanicis artibus aliisque Aegyptiorum institutis. Fatendum tamen est Aegyptios in sculptura ac pictura nunquam ne procul quidem ad Graecorum et Romanorum artium perfectionem accessisse ut monumenta inspicentibus appareat.

Aethyopia, quae in Scriptura hebraica dicitur *Cusch*, vel terra

Cusch ex huius nominis filio Cham, comprehendebat tum hodiernam Aethyopiam seu Abyssiniam, tum etiam Nubiam, seu regionem in valle Nili infra Aegyptum: alias tamen Aethyopia vel Cusch diversas regiones designant minus proprie, ut Indias, Arabiam meridionalem et fortasse ipsam Babyloniam: nunc tamen in sensu magis proprio illam consideramus. *Aethyopia* stricte sumpta a Romanis regio *Meroe* vocabatur: haec regio ab aquis Nili in varios rivos seu canales deductis irrigatur, unde intelligitur cur prophetae plurali numero *flumina* Aethyopiae commemorent (Is. XVIII, 1, Soph. III, 40). Regio *Ludim* (Is. LXVI, 19), et regio *Chub*, (Ezech. XXX, 5) a nonnullis creduntur districtus Aethyopiae vel Nubiae, ita etiam populus *Sukkim* creditur fuisse tribus Aethyopum sedem habens ad litora maris rubri. Aethyopes ab Isaia (XLV, 14) vocantur viri sublimes, seu statura proceri, quod de nonnullis tribubus illorum gentium testantur etiam profani scriptores: eos inter populos foederatos Aegyptiorum Scriptura connumerat 2 Par. XII, 3. Aetate Apostolorum nominatur regina Aethyopiae Candace, cuius eunuchus a Philippo evangelizatus et baptizatus est (Act. VIII). Regio quam nunc Nubiam proprie dicimus, in valle superiore Nili infra Aegyptum, monumentis abundat, quae eiusdem fere indolis sunt ac monumenta Aegyptiaca, scilicet templa, colossi, hieroglyphicae inscriptiones aliaeque huiusmodi, eoque a superius laudatis auctoribus Rosellini, Lepsius et aliis descripta fuerunt una cum monumentis Aegypti.

ARTICULUS III.

DE PALESTINA ET PRIMUM DE EIUS GEOGRAPHIA PHYSICA

Palestina, seu terra populi Hebraeorum, iacet inter gradus 31°, et 33° 30' latid. septent. et gradus 32°–34° long. orient. iuxta meridianum Parisiorum. Confinis est ad septentrionem Phoeniciae ac Syriae, ad Orientem Arabiae desertae, ad meridiem Arabiae Petraeae, et ad Occidentem mari mediterraneo. Limites tamen non semper iisdem fuerunt, sed praesertim ad orientem plus minus porrecti pro varia aetate, ita ut sub regno Davidis et Salomonis usque ad Euphratem pertingerent, et ad austrum quoque orienta-

lem (*Sud-Est*) totam Idumaeam a Davide subactam comprehendent: lege tamen, Deut. XVII, 16, cautum est ne ad austrum ultra torrentem Aegypti progredierentur. Limes australis erat urbs *Bersabee* באר שבע unde frequens illa phrasit: a Dan usque Bersabee ad designandam totam longitudinem terrae Hebraeorum. Ad occidentem quamvis mare mediterraneum limes naturalis esset terrae Hebraeorum, idque etiam secundum promissiones divinas (Gen. XV, 18 seqq. Nam. XXXIV, 6), tamen litoris pars meridionalis diu occupata fuit a Philistaeis, qui licet primum a Samsone debilitati, deinceps a Saule et Davide penitus devicti fuissent, tamen postea saepius Hebraeorum ingum excusserunt: ibi erant urbes munitae Philistinorum *Gaza, Ascalon, Azotus, Minoa, Iapho*, de quibus toties occurrit mentio in libris Iudicum, et Regum: in parte vero septentrionali Phoenices regionem diu obtinuerunt.

Nomen regionis multiplex fuit. Olim *Chanaan* dicebatur quia a posteris Chanaan filii Cham occupata: postquam Abrahami posteris a Deo promissa fuit appellari coepit *terra promissa*, deinceps *terra Hebraeorum* dicta est, aut etiam *terra Israel* ab Israel seu Iacob Patriarcha, a quo tota gens Israel vocabatur (1 Reg. XIII, 19, 1 Par. XIII, 2): postquam vero regnum Hebraeorum scissum est in duo pars superior a decem tribubus occupata dicta est *terra Israel*, inferior autem ubi David posteris regnabant *terra Iuda*; everso demum utroque regno, cum Hebraei ex captivitate rediissent, tota regio ab eis occupata vocari coepit *Iudaea* eo quod tribus Iuda praecipua esset pars Hebraeorum, qui ex captivitate redierant. Recentius a scriptoribus tum iudaicis tum profanis vocata est *Palestina* ex Philistaeis, פלשתים, *Pelitim*, qui eius oras incolerant. Hoc nomen apud Latinos scriptores, et generatim apud Christianos obtinuit: hi tamen terram vocare etiam solent antonomastice *terram sanctam* eo quod divinae religionis sedes fuerit, et praesentia divini Salvatoris, eiusque morte quasi consecrata.

§. I. *Palestinae facies generatim inspecta.*

Tota Palestina regia montosa est, iuxta illud Deut. XI, 11: « *Montuosa est et campestris*, de coelo expectans pluvias » ad oppositionem scilicet terrae Aegypti, quae tota in planitie posita est, et aquis Nili irrigatur. Montes autem, seu montium, uti aiunt, systemata duo distinguuntur inter se fere parallela a Septentrione in Austrum

decurrentia, et in medio vallis Iordanis. Iuga montium tamen continua non sunt, sed amplis vallibus hic illic intersecantur, in quibus minores fluvii seu rivi decurrunt, qui in Iordanem influunt aut in mare, sive mediterraneum sive mortuum sese exonerant. Sed de his omnibus nonnulla distinctius notanda sunt.

I. Praecipui montes Palaestinae cum subiectis vallibus.

Initium ducimus a Libano, licet proprie ad Syriam pertineat. *Libanus* series est montium, imo duplex series montium fere parallelorum a Borea ad Austrum plus minus descendendum, quarum occidentalis versus mare proprie *Libanus* dicitur, orientalis vero *Antilibanus* a Graecis dicta est, quamvis in Scripturis haec distinctio non observetur: inter utramque seriem lata vallis relinquatur ideo a Graecis vocata *Coeloesyria* (seu Syria cava). Vertices Libani perpetuis fere nivibus abescent, unde Libani לבנון nomen, quod *candidum* significat: cupressus, abietes, pinus et imprimis cedri Libani apud antiquos celebratissimae erant, et in Scripturis passim memorantur. Ex Libano et Antilibano derivantur duae illae series montium quas diximus per totam longitudinem Palaestinae protendi, scilicet ex Libano proprie dicto series occidentalis cis Iordanem, ex Antilibano series orientalis trans Iordanem. In serie Occidentali praecipui montes a Septentrione meridiem versus hoc ordine sibi succedunt, media fere linea inter Iordanem et mare mediterraneum. 1^o *Montes Neptali* proxime cum Eibano coniuncti, qui hodie *Safed* dicuntur: hos excipiunt alii montes Galilaeae inter quos eminent in parte meridionali mons *Tabor* a Christi transfiguratione celeberrimus: ad occasum Tabor elevantur iuga *Carmeli* quae promontorium efficiunt ad litus Mediterranei. Inter Tabor et iuga Carmeli interiacet *vallis Iezrael*. Carmelus a vineis feracissimis ita dictus adhuc excolitur, et arboribus, vineis, olivis abundat. In hoc monte habitaverunt Elias et Elisaeus prophetae, ibique Elias ignem de coelo impetravit ad sacrificium comburendum 3 Reg. XVIII, ibi etiam oravit ad pluviam impetrandam post diuturnam siccitatem (ibid. 42-45). Notandum tamen est alium montem Carmelum minus celebrem existere in parte meridionali Palaestinae prope mare mortuum. Infra montem Tabor post planitiem Iezrael incipiunt 2^o *montes Ephraim* seu Samariae, in quibus eminent *Gelboe* ubi Saul et Ionathas occubuerunt in praelio, item *Hebal* ubi Hebraei iussi sunt sa-

crificium offerre, Deut. XXVII, 4, et *Garizim*, ubi Samaritani aedificato templo tempore Alexandri Magni sui cultus sedem constituerunt: inter duos hos montes iacet *Vallis Sichem* ubi Christus ad puteum Iacobi sedens Samaritanam mulierem convertit (Io. IV). Ad hosce montes pertinet etiam collis Gaas ubi Iosue sepultus est (Ios. XXIV, 30). In valle Sichem erat campus a Iacob emptus a filiis Hemor Gen. XXXIII, 19, ubi etiam ossa Ioseph ex Aegypto asportata ab Ephraimitis eius posteris sepulta fuerunt (Ios. XXIV, 32). 3° Post montes Ephraim ad Austrum sequuntur *montes Iuda*, seu Iudaeae, inter mare mortuum et mediterraneum usque in Idumaeam excurrentes: haec sunt *montana Iudaeae* ubi Iohannes Baptista natus est, et quo Beatissima Virgo cum festinatione perrexisset dicitur ad invisendam Elisabeth (Luc. I, 39, 63). Montes isti ex ea parte quae desertum respicit asperi sunt et inculti: ibi ostenditur mons dicitur *quarantaniae*, ubi Christus ieiunium quadraginta dierum peregit. Horum montium iuga quae versus mare mortuum descendunt efformant desertum Iudaeae ubi David diu erravit ac latuit fugiens a facie Saul. Ibi etiam prope mare mortuum attollitur mons seu collis Carmelus, quem supra innuimus, ubi erat possessio Nabal, cuius uxor Abigail Davidi profugo cibos obviam tulit 1 Reg. XXV, 2, 18 seqq.

Series autem orientalis trans Iordanem incipit cum monte *Hermon* in Scripturis celebratissimo (qui ad iuga Antilibani pertinet, et aliquando pro toto Antilibano sumitur), et extenditur versus Austrum usque in Arabiam Petraeam (1). Potest autem distingui in tres partes. 1° Pars superior complectitur *montes Basan*, ubi pascua pinguis, et robusta armenta in Scripturis laudata: 2° Partem mediam efformant *montes Galaad*, quo nomine aliquando latiori sensu omnes montes trans Iordanem designantur: 3° Pars demum inferior seu meridionalis sunt montes *Abarim* retro mare mortuum. In montibus Galaad Iacob et Laban pactum inierunt, erecto in testimonium lapidum tumulo Gen. XXXI, 43-48. Inter montes Abarim eminent mons *Nebo*, in cuius verticem *Phasga* Moyses iussus est ascendere ut videret terram promissam, qua conspicua, ibidem mortuus est (Deut. XXXIV, 1 seqq.).

(1) Deut. III, 8 seq. notatur Hermon a Sidoniis vocatum *faisse Sarrion*, et ab Amorrhæis *Sanir*. Nunc vocatur *Gebel es-Sceikh*.

Montes Palaestinae praesertim australes *cavernis* abundant, quae latibula latronibus praebent, profugis asylum, et diuturnam quoque habitationem, saepe etiam mortuorum sepulturae inserviebant. David Saulis iram fugiens in spelunca *Odollam* cum quadringentis viris armatis latuit, et in spelunca Engaddi cum sexcentis comitibus habitavit, ubi etiam Sauli pepercit cum posset eum occidere (1 Reg. XXIV); duo istae speluncae in montibus Iudaeae erant versus mare mortuum. In aliis speluncis Abdias centum prophetas occultavit (3 Reg. XVIII, 4). In speluncas quoque Hebraei se receperunt metu Philistinorum sub Saule (1 Reg. XIV, 11). Celebris est spelunca duplex *Macphela*, ubi Abraham, Sara alique patriarchae sepulti fuerant (Gen. XXIII).

In his montibus etiam densissimae et amplissimae *syloae* (יערים) conspiciuntur, de quibus mentio fit in Scripturis, quarum tamen nunc nullum vestigium extat, ita ut incolae magna lignorum penuria laborent. Nominantur praecipue sylvae abietum et pinuum in monte Hermon 2 Reg. VIII, 5, 6, 1 Par. XVIII, 4, sylvae quercuum in montibus Basan Zach. II, Is. II, 13, sylvae vel saltus Ephraim Ios. XVI, 13, 2 Reg. XVIII, 6, 8 et 17, sylvae in finibus Iuda et Benjamin prope urbem Baala inde etiam dictam Gariathiarim קרית יערים (seu *urbs sylvarum*), Ios. XV, 9 seqq. Is. XXVI, 10, Neh. VII, 29, sylvae amplissimae Haret et Horsaia in tribu Iuda 1 Reg. XXII, 5, XXIII, 16.

II. *Valles*, Palaestinae celebriores, praeter superius memoratam vallem Iezrael, quae etiam *campus Esdrelon* dicebatur, quaeque triginta milliariis circiter per longum extenditur, notandae sunt vallis seu planities *Saron* ad litus Mediterranei supra Ioppen, quae olim pascuis et fructibus abundabat (Is. XXXV, 2); eius rosae laudantur in Cant. II, 1. *Vallis Jordanis* in Scripturis appellata planities *Ceneroth*, et planities Iordanis, vel regio circa Iordanem, olim a Loth selecta fuit ad pascendos greges ob eius fertilitatem Gen. XIII, 10. *Vallis Rephaim* seu gigantum (Is. XVI, 13) iacet inter Ierusalem et Bethleem, et olim celebris erat ob olearem praestantiam, et segetum copiam. *Vallis salis*, vel *salinarum* ubi Abisai percussisse legitur 18000 Idumaeos (1 Par. XVIII, 12) sita est ad extremitatem meridionalem maris mortui. Haud procul ad occidentem cernitur vallis *Hela* seu *Terebinthi* ubi David gigantem Goliath funda percussit 1 Reg.

XVII, 2, ubi adhuc cernitur rivus unde David quinque limpidissimos lapides elegit in Philistaeum iaciendos ib. 40. *Vallis Iosaphat* sita est ad orientem Ierusalem inter urbem et montem olivarum, et a torrente Cedron qui eam alluit etiam *Vallis Cedron* dicitur. *Vallis Aialon* celebris est ob victoriam Iosue super quinque reges foederatos, quando etiam ad eius iussum sol et luna steterunt.

Saepe in Scripturis *deserta* nominantur quo nomine non semper intelliguntur loca arida et squallentia, sed aliquando etiam valles et campi arboribus domibusque non interrupti; ita ex. gr. locus ubi Christus panes multiplicavit ad satiandas turbas vocatur desertum Matth. XIV, 13, et tamen non erat nisi campus gramine abundans, ut expresse dicitur Io. VI, 10. Alias tamen vere deserta loca indicantur, ut *desertum Iudaeae* in quo praedicabat Iohannes Baptista Matth. III, 1, quod situm erat inter montes Iuda, et mare mortuum, vel extremam partem Iordanis, item deserta Thecauae, Engaddi, Ziph, Maon nota ob exhibitum Davidi perfugium, quae proprie non sunt nisi diversae partes eiusdem magni deserti Iudaeae.

S. II. *Flumina, torrentes, lacus et maria.*

Flumen praecipuum Palaestinae est Iordanes יַרְדֵּן qui originem habet ad radices montis Hermon in parte occidentali ex fonte dicto *Hasbia* (nunc *Wady et-Teim*) cui mox additur alius rivus prope *Bantias* (Caesarea Philippi), ad austrum Hermon, ac demum tertius rivus prope Dan (nunc *Tell el-Kady*): tres isti rivi in unam coniecti Iordanem fluvium efficiunt, qui fluere incipit a Septentrione Meridiem versus; post pauca milliarum parvum lacum *Merom* ingreditur, tum iterum in angusto alveo decurrens in lacum Genesareth seu Tiberiadis influit, iterum vero e lacu egressus per latam regionem Iordanis hodie vocatam *El-ghor* alveo conclusus a 150 ad 200 pedes lato progreditur, donec post multos anfractus et cursum 42 circiter leucarum in mare mortuum praecipis volvitur. Cursus Iordanis rapidus est, cum eius fontes altiores sint 500 pedibus circiter aequore maris mediterranei, contra vero mare mortuum inferius sit circiter 1300 pedum spatio superficie eiusdem maris: a dimidio Aprilis Iordanes intumescit ob liquefactas Antilibani nives, et superiorem quoque alveum implet, quare latior et violentior defluit, ita ut vado traicere nequeat in ulla sui parte (Ios. III, 15, IV, 48, Ier. XLIX, 49, Eccli. XXIV, 36). In reliquis tempo-

ribus profundiorum tantum alveum complet, qui est 70 aut 80 pedes latus et 10 aut 12 profundus in extrema parte a Iericho usque ad mare mortuum. Iordanes in sacra historia celeberrimus est: eius aquae olim « steterunt descendentes in loco uno, et ad instar montis intumescentes » ut iter praeberent populo Dei in Canaan pergenti (Ios. III, 16, 17), postea iterum divisae fuerunt ab Elia et Elisaeo prophetis 4 Reg. II, 8, 14, demum Christi Domini Baptismo sanctificatae fuerunt Matth. III, 13.

II. Praeter Iordanem plures alii rivi vel fluvii Palaestinam alluunt, quorum alii in Iordanem influunt, alii in mare Mediterraneum decurrunt, nonnulla in mare mortuum; omnes tamen parvi sunt, et maiores tantum ingiter fluunt, reliqui per aestatem exsiccantur, ideoque potius torrentes vocandi essent. En praecipuos cum nominibus ac situ uniuscuiusque. In Iordanem influunt ex montibus Galaad decurrentes *Iabok*, *Gadara* et *Hesehon*. *Iabok* erat limes inter regna Og et Sehon: eum transiecit Iacob Patriarcha ex Mesopotamia rediens, et ad eius ripas cum angelo luctatus est (Gen. XXXII). *Hesehon* pariter ex montibus Galaad ortus paulo infra Iabok in Iordanem decurrit, et olim litem designabat inter tribus Ruben, et Gad. In parte occidentali Iordanis ex montibus Ephraim ortus in Iordanem incurrit parvus rivus seu torrens *Cerith* ex eo potissimum celebritatem adeptus quod ad eius ripas iussu Dei habitaverit Elias propheta a corvis cibum quotidie recipiens, et de eius aquis bibens 3 Reg. XVII, 3, 4. *Gadara* amplus rivus ad orientem Iordanis decurrit, et in idem flumen devolvitur infra lacum Genesareth prope lates Galaad.

Alii rivi in mare mortuum sese exonerant: horum praecipui in Scripturis memorati sunt *Zered* ad orientem maris mortui in regione Moab: *Arnon*, vocatus etiam flumen Gad, superius defluit in finibus Ruben et Moabitidis; *Saphria* vel *Saphia* satis ingens fluvius, qui in extremitate australi mare mortuum ingreditur: demum torrens *Cedron* in occidentali parte maris mortui qui inter Hierosolymam et montem olivarum decurrens austrum primo, deinde vero orientem versus per desertum Engaddi descendit in mare mortuum. Parvus iste torrens hiemali tantum tempore aquis repletus, cum pluribus insignibus Scripturae factis consociatur; hunc David transiecit noctu cum a facie Absalom fugeret 2 Reg. XV, 23,

eumdemque Christus Dominus pertransiit in suprema nocte ut in hortum Getsemani Patrem oraturus pergeret Io. XVIII, 1.

Alii demum rivi vel torrentes ad mediterraneum descendunt, inter quos praecipui sunt *Cison* (קִישׁוֹן) qui in planitie Esdrelon originem ducit et infra montem Tabor decurrens in mare mediterraneum influit prope Ptolemaidem: in ripa huius fluvii Elisaens occidit sacerdotes Baal (3 Reg. XVIII), *Belus* vel *Beleus* ab inventione vitri celebris, qui ex montibus Aser ortus post longum circuitum infra Ptolemaidem in mare desinit. *Torrentis Arundineti* qui separabat tribum Ephraim a Manasse, et infra Caesaream in mare devolvitur Ios. XVII, 9, 10. *Escol*, seu *torrentis Botri*, qui ex montibus Iuda oritur et ad mediterraneum pervenit prope Ascalon; in huius fluvii fertili valle exploratores Iosue invenerunt ingentem illum uvae botrum, aliosque fructus, quos ad Iosue detulerunt (Num. XIII, 24, 25); *torrentis Besor* per tribum Simeon decurrebat ad meridiem, et a David transiectus fuit cum Amalecitis persequeretur 1 Reg. XXX, 9, 10. *Rivus Aegypti* ultimus fuit limes australis regionis Hebraeorum, et in mare mediterraneum influebat ad extremam partem regionis Philistinorum; de eo fit mentio Am. VI, 44, Num. XXXIV, 5, 1 Par. XIII, 5 et alibi.

III. *Lacus* praecipui tres numerandi sunt, scilicet *lacus Merom*, *lacus Genesareth*, et *mare mortuum* seu *lacus Asphaltites*, qui omnes iuxta cursum Iordanis iacent.

Lacus Merom qui in Scripturis מֵי כַרְמֵי aquae *Merom* vocatur (Ios. XI, 5, 7), et a Graecis *Samoconites* dictus est (nunc dicitur *Huleh*), in parte superiori Palaestinae reperitur, et in eum primo influit Iordanes, ut supra vidimus: hic lacus tempore verno cum aquis abundat ad studia sexaginta longitudinis et triginta latitudinis extenditur, paludes vero ab eius aquis formatae usque ad Daphnen porriguntur (Ioseph. Bel. Iud. lib. IV, cap. 1, §. 1) aestivo autem tempore aquas habet ad paucorum pedum altitudinem, et magna ex parte arbutis et lacustribus plantis operitur. Ad hunc lacum sita erat Seleucia (Ioseph. loc. cit.).

Lacus Genesareth, in quem Iordanis ex *Merom* egressus post sex circiter leucarum cursum effunditur longe celebrior est in Scripturis. Ibi vocatur aliquando *lacus Cinnereth*, vel *Genesareth*, ab urbe huius nominis vicina (Num. XXXIV, 11, Mar. VI, 33), aliquando *mare*

Tiberiadis, ab urbe Tiberiade, quae fortasse est ipsa Cinnereth seu *Genesareth* ab Herode (Antipa) Tetrarcha amplificata et in honorem Tiberii Caesaris eo nomine appellata, (Io. VI, 1): alias demum dicitur *mare Galilaeae* ex regione huius nominis in cuius medio situs est: multo amplior est lacu *Merom*, latitudinis habens duas leucas, longitudinis autem quatuor leucas cum dimidio circiter. Iordanis totum lacum percurrit, quin aquas suas cum eius aquis, quae alioqui dulces et limpidae sunt, commisceat: regio circa lacum *Genesareth* olim pulcherrima et fertilissima erat: tempestatibus ventorum vi excitatis adhuc subiectus est, similibus illi quae Luc. VIII, 22–25 describitur. Huius lacus aquae piscibus abundant, et in eo Apostoli piscationi operam dabant, ubi etiam prodigiosa illa Petri piscatio facta est de qua Io. XXI, 1–24. Christus Dominus pluries hunc lacum navigavit, et prodigia in eo operatus est, ut cum tempestatem verbo sedavit (Luc. VIII, 24) et cum Petrum super aquas incedere inssit (Matth. XIV, 31).

Mare mortuum nihil aliud est nisi lacus duobus praecedentibus amplior, in quem tandem Iordanes devolvitur, nec amplius apparet. In Scripturis vocatur *mare salsum*, ob aquarum salsuginem, vel *mare deserti* quia deserto Iudaeae circumdatum, vel *mare Siddim* a planitie huius nominis cuius situm nunc occupat, Graeci illum vocarunt lacum *Asphaltiten* ob bituminis et asphalti copiam, demum Arabes eum vocant *Bahr-el-luth*, seu *mare Loth* in memoriam huius patriarchae qui eam regionem incoluit. Appellatio communis maris mortui ex eo orta est quod pisces nulli neque ulla animalia in eius aquis vivere possint: « In hoc mari (inquit S. Hieronymus comm. in Ezech. XLVII), nihil vitale esse potest. Nihil enim quod spiret et possit incedere, prae amaritudine nimia in hoc mari reperiri potest, nec cochleolae quidem, parvique vermiculi, et anguillae... denique si Iordanes auctus imbribus pisces illic influens rapere statim moriuntur, et pinguibus aquis supernatant. » Huius rei causa est quod aquae amarissimae sint, et eterogeneis elementis imprimis chloruro et sulphato magnesiae, sodii, et chalcii gravidae, licet non semper in eadem quantitate, pro maiori scilicet vel minori aquae dulcis copia quam Iordanes, et alii fluvii vel torrentes in eum influunt. Longitudinem habet 72 chilomet. circiter, et 20 chilomet. latitudinem: ad orientem et occidentem sitas,

praeruptis et squallentibus repidus cingitur, ad austrum vero deserta plantie quam interdum aquis inundat. Magna bituminis copia quod *asphaltum*, seu bitumen iudaicum appellant, undis lacus supernat. In regione circumvicina humus salsa et sterilis fructibus caret: ibi species quaedam vitis crescit quae vitis Sodomae dici solet, et a botanicis *Solarum Melanganae*, cuius fructus specie tenuis optimi videntur, sed interius putridi et cineribus pleni sunt: ad eos alludit Moyses in Cantico Dent. XXXII, 32: « De vinea Sodomorum vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ: uva eorum uva fellis, et botri amarissimi. » Lacus iste non existerat cum Abraham in eam regionem advenit, sed eius locum occupabat valis pulcherrima, et apprime fertilis ab aquis Iordanis irrigata, quae in Scriptura vocatur *vallis sylestris*, ubi praelium inierunt quatuor reges adversus quinque (Gen. XIV), et pulchra dicitur *sicut paradisus Domini* Gen. XIII, 10: ibi erat *Pentapolis*, seu quinque opulenta urbes Sodoma, Gomorrhæ, Adama, Seboim et Segor (1): in subversione Pentapoleos igne de coelo immisso telluris crusta, liquefacto bitumine quae illam sustentabat, disrupta fuit et subsegit, et aquae subter latentes ex superficie emergerunt ac lacum efformarunt. Superficies lacus inferior est aequori maris mediterranei pedes fere 1300 circiter. Putant nonnulli aquas Iordanis subterraneis meatibus in mare mediterraneum, vel forte etiam in mare rubrum ferri, quod tamen credibile non est (2).

Mariae proprie dicta Palaestinae contermina duo sunt, mare Mediterraneum, et mare Rubrum. De primo utpote notissimo nihil dicendum, pauca vero de altero notabimus. Hoc mare, quod etiam

(1) Ruinae quaedam urbis Sodomae et Gomorrhæ creduntur repertae a Sauley a. 1851 ad litus maris mortui, sed haec incerta sunt. Ceterum inspectio soli circumstantis apprime confirmat narrationem Gen. XIX, 23-28 uti recentes exploratores testantur, imprimis Anglicanus Tristram in opere: *Land of Israel*.

(2) Sunt etiam alii quidam minoris momenti lacus, vel lacunae in Palaestina, ut lacus formatus a fonte *Hasbia* ad originem Iordanis, de quo supra: item lacunae artificiales tres *superior*, *media*, et *inferior* non procul a Bethlehem, quae vulgo lacunae vel *piscinae Salomonis* dicuntur, fortasse illae ipsae de quibus Salomon loquitur Eccl. II, 6. Adhuc extant sub nomine *El-Burak*: inferior, quae ceteris amplior est, habet longitudinis pedes 582, latitudinis mediae pedes 180, profunditatis (in parte orientali) pedes 50. (Porter op. cit. p. 107) Alias omittimus.

graeci *Ερυθραίου* seu rubram appellarunt, proprie aliud non est quam sinus maris Arabicus dictus, inter Africam orientalem et peninsulam arabicam conclusus: hic autem in parte superiori in duos quasi ramos dividitur, idest in duos angustiores sinus, qui in medio relinquunt parvam peninsulam formae fere triangularis. Ex his qui est ad occidentem vocatur sinus *Heroopoliticus* ex urbe huius nominis in eius litore sita, alter vero orientalis vocatur sinus *Aelaniticus*, ab urbe Aelath. Per sinum seu fretum Heroopoliticum, qui satis angustus est, Hebraei transierunt sicco vestigio aquis ad tactum virgae Moysi divisis, et in praedictam peninsulam, quae tota deserta erat (desertum Pharan), pervenerunt ubi diu multumque hac illac errantes vixerunt: ibi circa extremitatem meridionalem peninsulae duo celebres montes sunt, *Horeb*, ubi Deus Moysi apparuit in rubo ardente Ex. III, 1, et haud procul mons *Sinai*, ubi lex Moysi inter fulgura et tonitrua data est, toto populo in subiecta valle castrametante, et descensum Moysis sollicite expectante Ex. XXXIV: ab hoc monte longe celeberrimo tota haec regio *peninsula Sinai* dicta est.

S. III. *Clima Palaestinae, tempestates, fertilitas, calamitates.*

I. Quamvis pro variis partibus status coeli et temperatura leviolem quamdam diversitatem praeseferat, generatim tamen clima Palaestinae benignum et salubre dicendum est. Tempestates anni sex distinguebant Hebraei, ut etiam nunc faciunt Arabes, 1° *Tempus messis* קציר a dimidio Aprilis usque ad dimidium Iunii secundum nostram computationem extenditur: hac tempestate coelum serenum est, aer primum calidior, subinde etiam fervens et aestuans imprimis circa mare mortuum et in vallibus Iudaeae. 2° *Tempus fructuum*, vel simpliciter *aestus* קליף a dimidio Iunii usque ad dimidium Augusti: calor tam gravis ut ne noctu quidem temperetur, et plerique sub diu somnum capiant. 3° *Tempus caloris* dictus hebr. חם a dimidio Augusti usque ad dimidium Octobris: calores initio quidem maximum gradum attingunt, sed deinceps paulatim decrescunt. Tribus hisce tempestatibus, seu ab Aprile usque ad finem Septembris, nec pluvia neque tonitrua sunt (Prov. XXVI, 1, Reg. XII, 17) sed ros abundans descendit quae robustioribus plantis alendis sufficit, minores tamen generatim arescunt nisi ubi rivorum aquis, vel artificialibus canalibus solum irrigatur:

fontes quoque et torrentes exsiccantur quare tota regionis facies squallida est et facile in campis et sylvis arenibus excitantur incendia (Ex. XXII, 5, Ps. LXXXIII, 13, Is. IX, 17, X, 14): hinc intelligitur cur ros quo terra madefit tamquam res gratissima et uti symbolum divini beneficii passim in Scripturis memoretur (Gen. XXVII, 28 seq., XLIX, 25, Deut. XXXII, 2, XXXIII, 13, Os. XIV, 5, Mich. V, 6). Augetur calor aestivus et ariditas soli vento, quem orientales *Kadim* seu orientalem vocant qui etiam vitibus ac segetibus noxius est, et navigantibus in mediterraneo exitiosus (Iob. XIV, 2, Is. II, 2, XI, 7, 8, 24, Ion. Ps. XLVIII, 7): contra vero horis pomeridianis lenis aura spirare solet, quae ardores aestivos mitigat (Gen. III, 7). 4^o *Tempus sementis* זרע dictum a dimidio Octobris ad dimidium Decembris: aer plerumque nebulosus, inconstans et pluviis abundans, quae quidem circa finem octobris incipiunt, et ad sementem necessariae sunt; simul autem calores temperant, qui gradatim cessant ita ut in fine Novembris iam frigescat: interim vero torrentes, et minores rivi aquis adhuc carent et Iordanes minori aquarum copia fluit: in altero Novembris dimidio folia ex arboribus decidunt. 5^o *Tempus hyemis* דרור a dimidio Decembris ad dimidium Februarii: nix copiose decedit, sed in vallibus brevi admodum permanet, diu vero in verticibus et iugis montium, ubi frigus acrius est, et saepe viatoribus lethale; semitae montium et collium lubricae, et molesta ac periculosa itinera (Ier. XIII, 16, XXIII, 12, Eccli. XLIII, 22, Matth. XXIV, 20); tonitrua quoque, fulgura et grandines frequentes. Sub initium Februarii campi virescere incipiunt, arbores germina ac folia emittunt, et prima omnium florescit amygdalus ideo dicta זקן seu vigilans, ad quod pulchre allusio fit Ier. I, 11, 12. 6^o Denique *tempus frigoris* hebr.: קר a dimidio Februarii ad dimidium Aprilis: initio quidem huius tempestatis frigus desaevit, deinceps vero paulatim minuitur, ita ut circa finem aer tepidus aut etiam calidus sit. Pluviae etiam minori copia decidunt, grandines vero et fulgura crebriores fiunt, utraque autem circa initium Aprilis cessant. Ultima pluvia est ea quae primis diebus Aprilis desinit ideoque ab Hebraeis vocabatur זקן seu vespertinum aut serotinum, quemadmodum primae pluviae Octobris dicebantur זרע בטוס מוקדם, matutinum, seu pluviae matutinae. De utrisque tamquam Dei beneficiis saepe re-

currit mentio in Scripturis sive literaliter sive metaphoricè, quia pluvia Octobris ad sementem, Aprilis vero ad agrorum foecunditatem necessaria erat, ideoque ab agricolis magnopere desiderata, unde illud Prov. XVI, 15: « In hilaritate vultus regis, vita: et clementia eius quasi imber serotinus. » Duabus hisce postremis tempestatibus omnes rivi et torrentes implentur, et maiores fluvii, imprimis Iordanes, intumescunt et exundant.

II. *Fertilitas Palaestinae, plantae, fructus, animalia.*

In libris Moysi celebratur ubertas terrae promissae, eaque passim vocatur *terra fluens lac, et mel*. Increduli haec comparantes cum hodierno Palaestinae statu Scripturam erroris accusant: verum iniuria prorsus; nam ex recentiore statu regionis, post tot incursum et vastationes Chaldaeorum, Aegyptiorum, Syrorum, Romanorum, Sarracenorum et Arabum, qui incolae disperserunt aut abduxerunt, magnosque tractus incultos reliquerunt, mirum non est si antiqua fertilitas non amplius appareat: quod coeteroquin ab ipso Moysè praedictum fuerat (Deut. XXIX, 22-28) in poenam peccatorum et ingrati animi Hebraeorum. Attamen Palaestinam olim fertilitate praestantissimam fuisse non Scriptura tantum asserit sed profani quoque auctores confirmant, imprimis Hecataeus coaevus Alexandri Magni (apud Ios. Fl. lib. I con. Apionem), idem Iosephus Flavius (de Bel. Iud. lib. III, Cap. III, §. 3, X, §. 8, lib. IV, Cap. VIII, §. 3). Tacitus (Annal. lib. XXI). Iustinus (hist. lib. XXXIII) et alii plures citati a Guénée in refutatione Voltairii (Vide celebre opus: *Lectres de quelques Juifs... à Mons. de Voltaire* Tom. III. *Recherches sur la Judée considérée principalement par rapport à la fertilité de son territoire* etc.). Coeterum etiam nunc in his Palaestinae tractibus, qui sedulo excoluntur, nec ob Turcarum Arabumque inertiam inculti iacent, adhuc segetes copiosae sunt, fructiferae arbores ac omnis generis fruges abundant, nec optima vineae desunt, iumentorum autem et avium ingens varietas ubique cornitur.

In antiqua Palaestina tota regio tum in vallibus tum in collibus, exceptis desertis Iudaeae, frugiferis plantis, aut optimis pascuis abundabat iuxta illud (Ps. LXIV, 12-14: « *Campi tui replentur ubertate. Pinguescent speciosa deserti* (planities), et exultatione colles accingentur. Induti sunt arietes ovis, et valles abundabunt frumento. » Vineae Engaddi, et Carmeli praecipue in

Scripturis laudantur; pascua in regione Basan pinguisima, unde vituli, aut *tauri Basan* celebratissimi, qui etiam aliquando metaphorice pro viris potentibus robustisque accipiuntur. (Ps. XX, 13 hebr.). Inter fructus potissimum uvae, ac ficus laudantur, unde illa Scripturae phrasis: *unusquisque sub vite sua, et sub ficu sua*, ad populi opulentiam et felicitatem adumbrandam. Ad animalia quod attinet, Palaestinae campos pascebant innumeri greges ovium et caprarum, numerosa quoque armenta boum, praeterea cameli, et asini, quorum copia inter possessiones ditiorum hominum passim in Scripturis recensetur (Gen. XII, 16, Iob. I, 3, XLII, 12). Filii Ruben, Gad et Manasse 50,000 Camelorum ab Agarenis praelio devictis sustulerunt, una cum 250,000 ovibus, et 2000 asinis (1 Par. V, 21): cameli autem tum ad domesticos usus, tum ad itinera longiora, et ad bellum quoque adhiberi solebant. Equi haud multum usum apud Hebraeos habebant, imo reges prohibiti sunt *multiplicare sibi equos* (Deut. XVII, 16); nihilo tamen minus ad usus praesertim bellicos equi ex finitimis regionibus inferebantur, et Salomon 12,000 equitum habuisse dicitur, et quamplurima stabula *equorum currilium* 3 Reg. IV, 26. Avium quoque magna erat copia, quarum multae species in Scripturis distinguuntur sive mundae, sive immundae, de quibus ut et de aliis animalibus quaedam dicemus in sectionibus sequentibus.

III. Hisce tamen non obstantibus, regio Palaestinae pluribus calamitatibus et flagellis obnoxia est, quorum praecipua et peculiaria eidem regioni sunt 1° *Pestis*, quae ex Aegypto potissimum, aliisque regionibus non raro infertur, et frequenter in Scripturis memoratur. 2° *Terraemotus* saepe terribiles et exitiosi, unde prophetae plures imagines desumunt ut Ps. LX, 4, Is. XXIX, 6, Ier. IV, 24: ab iis tamen Ierosolyma vix unquam damnus passa est Ps. XLV, 3. 3° *Locustae*, quarum aliquando innumerabiles turmae in campos irruunt, et omnes segetes, fruges, fructusque devorant: haec insecta saepe magnae molis sunt, et per aera feruntur agmine facto ad modum exercitus, circa vesperam in campos descendunt et quasi castrametantur, agmen quandoque ad duo vel tria milliaria longitudinis pertingit, ita ut lucem solis ad modum densae nubis subtrahat, ad quod alludit Scriptura Ex. X, 13, IoeI II, 10, et alarum motu ingentem strepitum edat (IoeI II, 2); campis vero in-

gruentes ingentes terrae tractus, arboresque ac frutices omnes contegunt et post exortum solem repunt fere recta linea in septentrionem pergentes, nullis obstaculis perterritae, foveas transiliunt moenia ac muros praetergrediuntur et in domos penetrant IoeI II, 7 seqq. postquam omnia voraverint, ipsos arborum ramos decorticant, saepe etiam pondere suo frangunt (Ex. X, 12, 13, IoeI I, 4, 7, 10, 12, II, 3). Hinc earum dentes dentibus leonum comparantur IoeI I, 5, II, 4. Aliquando accidit ut discedente uno agmine alterum succedat, aut etiam tertium, et quartum ut nihil prorsus viride relinquatur: denique ova humo infossa relinquunt quae novam progeniem sequenti vere pariunt, saepe etiam mortua corpora relinquunt quae foetore intollerabili aerem corrumpunt (Ex. X, 13-20): variae eorum species diversis nominibus in Scripturis distinguuntur. 4° *Caritas annonae*, et fames, quae modo locustarum vastationem, modo aeris siccitatem consequitur. 5° Ventus *Samun* dictus seu *pestilentialis*, qui in Scripturis vocatur variis nominibus זְלַעְזָה בְּעַר רִיחַ צַח. Hic ventus, qui variis regionibus Orientis, ut Persiae, Babyloniae, Arabiae et Nubiae communis est, brevi admodum spirat, saepe duobus vel tribus tantum minutis, nunquam ultra septem vel octo, uno momento omnes homines qui eum hauriant occidit: cadavera mox nigrescunt et contacta franguntur et dissolvuntur. Animalia vero in campis pascentia non occidit quia naturae instinctu in terram se prosternunt et caput demittunt. Huiusmodi enim ventus super terrae superficiem non spirat sed tantum ad duorum circiter pedum altitudinem: hinc homines cum eius impetum animadvertunt humi prostrati os ad terram applicant, et spiritum quantum fieri potest continent ut mortem effugiant: eius autem adventum coniciunt ex strepitu quodam, ex nebulis subrubeis, aliisque indicis, quae tamen satis incerta sunt; refert Thevenot *Voyages* Tom. III cap. X anno 1665 in sola urbe Bassorah 4000 homines a Samun interfectos fuisse. Non est tamen omittendum aliquando nomine Samun ab orientibus latiori sensu vocari alium ventum calidum ab Oriente spirare solitum, quem Hebraei ventum *Kadim* appellabant, ut supra vidimus, qui licet plantis noxius sit, et hominibus molestus, minime tamen lethalis est.